



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronicon Cisterciensis Ordinis

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Decretvm Hvgonis Legati de toto negotio Molismensium atque
Cistertiensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11259

DECRETVM HVGONIS LEGATI
de toto negotio Molismensium atque
Cistertiensium.

HVGO Lugdunensis Ecclesiæ feruus
carissimo fratri *Roberto* Lingonen-
sium Episcopo salutem. Quod de negotio
Molismensis Ecclesiæ in colloquio nuper
habito definiuimus, fraternitati vestræ no-
tificare necessarium duximus. Venerunt
ante nos illuc cum litteris vestris Molif-
mensis monachi, loci sui desolationem, at-
que destructionem, quam per remotio-
nem *Roberti* Abbatis incurrerant, ostēden-
tes, ipsumq; sibi reddi in patrem magno-
perè postulantes. Nullo modo enim aliter
sperabant pacem, & quietem Molismensis
Ecclesiæ posse restitui, vel monastici ordi-
nis vigorem in pristinum statum illic re-
uocari. Affuit etiam ibi in præsentia nostra
frater *Goffredus*, quem eidem Ecclesiæ in
Abbatem ordinauistis, dicens se libenter
isti *Roberto* velut patri suo locum datu-
rum, si nobis placeret, vt eum Molismensi
Ecclesiæ remitteremus. Audita igitur ve-
stra & ipsorum Molismensium petitione,
relictis etiam Domini Papæ litteris super
hoc negotio nobis directis, totum dispo-
sitioni & arbitrio nostro committentis,
eandem multorum virorum religiosorū,
tām

tam Episcoporum, quam aliorum qui nobiscum aderant consilio, precibus vestris & eorum acquiescentes, Molismensi Ecclesie ipsum restituere decreuimus: ita videlicet, vt priusquam illuc redeat, Cabilonem veniens, in manu fratris nostri Cabilonensis Episcopi, cui secundum consuetudinem ceterorum Abbatum professionem fecit, virgam & curam Abbatie reddat, atque monachos * noui monasterij, qui ei * *Cistercium intelligo.* sicut Abbati suo professionem fecerunt, ab ipsa professione liberos & absolutos dimittat, ac sic ab ipso Episcopo professionis, quam & Cabilonensi Ecclesie fecit, absolutionem accipiat. Dedimus etiam licentiam cum eo redeundi Molismum omnibus illis fratribus noui monasterij, qui eum secuti fuerint, tali conditione, vt de cetero neutri neutros sollicitare vel recipere presumant, nisi secundum quod beatus Benedictus monachos noti monasterij precepit recipiendos. Postquam haec supradicta fecerit, remittimus eum dilectioni vestrae, vt Molismensi Ecclesie illum in Abbatem restituatis: ita tamen vt si deinceps eandem Ecclesiam deseruerit, nullus ei substituatur, viuente praefato *Gaufredo* Abbate, absque nostro & vestro, eiusdemque *Gaufredi* assensu. Quae omnia Apostolica auctoritate rata esse praecipimus. De
capella

capella etiam prædicti Abbatis Roberti, & de cæteris rebus, quas à Molismensi Ecclesia recedens secum tulit, & cum eis Cabilonensi Episcopo, atque nouo monasterio se reddidit, id statuimus, vt omnia fratribus noui monasterij salua permaneant, præter Breuiarium quoddam, quod vsque ad festiuitatem S. Ioannis Baptistæ retinebunt, vt transcribant assensu Molismensium. Huic autem definitioni interfuerunt Episcopi, *Norigandus* Eduensis, *Galterus* Cabilonensis, *Berandus* Matisconensis, *Pontius* Bellicensis: & Abbates Tenorcensis, *Iaurentio* Diuionensis, *Gausoeranus* Athanacensis, *Petrus* quoque Domini Pape Camerarius, multiq̄ue alij viri honesti, & boni testimonij. Hæc omnia Abbas ille laudauit & fecit absoluendo Cistertienses ab obedientia, quam ei in illo vel in Molismensi loco promiserāt, & Dominus *Galterus* Cabilonensis Episcopus Abbatem à cura illius Ecclesiæ liberum dimisit: sicq̄ue reuersus est, & quidam monachi cūm eo, qui eremum non diligebant. Hac ergo ratione, Apostolicaq̄ue dispensatione, istæ duæ Abbatia in pace & libertate summa remanserunt. Rediens verò Abbas secum pro scuto defensionis has litteras episcopo suo detulit.

C O M-